



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et  
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

**Paullini, Christian Franz**

**Francofvrti ad Moenvm, 1698**

Venerande Lector!

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44860**



## VENERANDE LECTOR !

**P**romo nunc *Reutelium*, Virum bonum & doctum, fidumq;  
Prerum *Hillesheimensium* inquisitorem. Si compendium vitæ  
ejus scire aveas, brevissimè dicam. Cunas ei & prima crepu-  
dia dedit *Hatzkeroda* ad sylvam *Hartzicā* in Principatu *Anhaltino*.  
Adultum, & doctrinâ nunc præstantem fata traxere ad exteris.  
Probatâ siquidem fide & industriâ ejus *Göttingensibus* & *Harde-  
fianis*, *Hüxariæ* ad *Visurgim* in æde *Petrina* fit Ecclesiastes. Inde  
annô MDLXVII. abs *Einbeccensisbus* ad S. *Alexandrum* vocatus.(a)  
Aliquot antē excessum annis sermonis usū priyatū, Adjunctum à  
Superioribus habuit M. *Andream Noltium*, Scholæ *Einbeccensis*  
Rectorem, cui cives ejus in sacra cathedra demandabantur. An-  
nus ei supremus fuit suprà millesimum quingentesimum nona-  
gesimus tertius, quō ipsō *Veronicae* die in templo *Alexandrino* con-  
ditus est. (b) At rogas, quō casu iste *Jacobus* in nostras lapsus fuerit  
manus? Communicarat olim mecum D. *Joannes Wilhelmus Brü-  
ning*, Imperialis semperq; Liberæ Ecclesiæ Corbeiensis Cancella-  
rius, Anonymi cuiusdam chronicon *Hillesheimense*, patrio sermo-  
ne scriptum. Quod cùm fortè apud me vidisset *Hermannus Schnei-  
devind*, Pastor ad D. *Kilian*. *Hüxar*, de *Reutelio* mussitare cœpit,  
in ædibus Theologi vicinoris à se viso, addens: si mihi placaret, se  
operam daturum, ut quamprimum perlegerem. Vix optatius  
quid dici potuisset. Misit postea codicem, quem meā manu de-  
scripsi. Attentiūs perlegenti mirè placuit brevitas *Reuteliana*,  
omnia succinctè tradens. Non potui igitur me continere, quin,

(a) Vid. J. Letzner, chron. Dassel. L. VI. p. A. c. 7. p. 68. B. (b) Idem l. c. p. 99. A.

anti-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

antiquo more meo, lectiones meas subinde brevioribus notulis  
conspargerem, si quæ asterisco digna occurserent. *Chronicon* verò  
MS. *Hillesheimense* aliquoties ad partes vocatum, nullum aliud est,  
quàm quod à *Bruningo* acceperam. Recentius erat, nec antiquâ  
Saxonum lingua exaratum, multis tamen memorabilibus re-  
fertum. Meminit *Henricus Meibomius Senior* (c) *Onuphrii*  
*Meyenrosii* chronicus Hillesheimensis, & D. *Caspar Sagittarius*  
(d) *Joannis Stadtwegs* MS. chron. Hillesheim. At utrumque  
diversum ab isto. Nulos allegavit autores Noster. Quàm bene  
autem ex fide dignis cuncta hauserit, tute videbis. Candorem &  
modestiam Viri laudo. Si æquus prudensq; lector ( ceteris me-  
liorem precabimur mentem,) studium meum probaverit, plura  
hujusmodi spondeo. *Gratus dignos* cenlet CL. *Urtisius*, (c) &  
debitum eos patriæ officium præstítisse scribit, qui bonis libris è te-  
nebris in lucem proferendis obstatricantur, neglectosq; & squallentes,  
deterso situ, in hominum conspectum atque consortium deduc-  
unt. Vale, mi Lector, &c, si velis, adde vitas *Ernesti*, *Ferdi-*  
*nandi*, *Maximiliani Henrici*, *Jodoci*, & moderni Reverendissimi  
& Serenissimi, quem Deus servet! Scripsi *Ferrariae Thuringorum*  
Annô Dei-Hominis MDCXCVII.

(c) in not. ad *Henric. Leon. T. I. rer. Germanic.* p. 527. (d) de origine Ducum Brunsvicensium f. 116.  
p. 95. (e) prefat. in volum. Hist. German.

\* \*

**I**N nuce *Mæonides!* angultis ordine chartis  
cernis Pontifices, *Hildesiana*, tuos.  
Illustres venerare Viros; illustria facta  
suspice, quæ vitæ norma & amissis erunt.

(K) 2

Ortum

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Ortum cerne tuum: speciosæ sicut olivæ  
in ripa ex tenui semine fructificant,  
Inq; plagas orbis sublimia brachia pandunt,  
& pulsant cœlum vertice grande suo.  
Sic semper felix, ita semper bella fuisti,  
*Saxoniæ decus & nobile delicium.*  
Imbellem donec facerent te tristia bella,  
è quibus haud unquam nascitur ulla salutis.  
Omnia Reutelius mirâ brevitate loquetur;  
sed sapienti sat: singula pauca monent.  
Accendunt faculas Tibi noctes Paullinianæ,  
ut videoas fontes, è quibus ista fluant.  
Laudamus meritò, quem fecit uterq; laborem,  
occurrant tetri sic mihi sæpe libri.  
Mucor eras, Reuteli, squallor, pulvis & umbra,  
nunc es Chrysologus, totus & Aureolus.  
Hanc metamorphosin Paullini callet: is, ecce!  
ex veteris juvenes restituisse potest.

Scripsit officiosâ crenâ

GABRIEL LÜHR. D.M.

B.C.D.